

unica missa pro multis debitis, seu stipendiis satisfacere, dicemus articulo sequenti.

ULTIMO INQUIRES, QUIBUS PERSONIS PROSIT HOC SACRIFICIUM, ET PRO QUIBUS DEBEAT OFFERRI.

XVII. Respondetur generaliter includi omnes istas personas in duplici genere, quia vel sunt offerentes, vel illi pro quibus offertur, ut patet in illis verbis canonis: Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. Et S. Thomas quæst. LXXIX, art. v dicit: « Prodesse sacrificium his, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus. » Inter offerentes diversæ numerantur personæ. Primo, qui faciunt pro se celebrari missam: secundo, qui assistunt et cooperantur illi: tertio, ipse sacerdos, cujus ministerio fit sacrificium. Qui offerri faciunt adhuc dupliciter se habent: quidam nimis remote, et quasi in habitu offerunt (scilicet omnes fideles, qui constituunt corpus Ecclesiæ, si quidem sacrificium nomine Ecclesiæ offertur, cum sit publica ejus actio.) Alii vero proxime et in actu cooperantur, et faciunt offerri, ut qui dant eleemosynam pro stipendio, aut qui instituit aliquam foundationem cum onere missarum. Qui offerunt solum remote, et quasi in habitu, dicuntur accipere fructum sacrificii ex intentione generali sacerdotis, quæ dicitur generalis, quia ad omnem Ecclesiam se extendit, et specialiter ad prælatos, et explicatur in illis verbis canonis: In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta, etc.

XVIII. Unde aliqui suspicantur, ex ista generali applicatione, seu intentione non provenire omnibus fidelibus effectum aliquem ex opere operato, quia nec illis applicatur

per specialem intentionem, nec aliqua sensibili actione communicant sacrificio, sicut assistentes et facientes offerri: nec in ipso canone petitur pro illis remissio pœnæ, quæ est effectus ex opere operato, sed effectus aliquis impetrationis, ut pacificare, custodire, et regere dignetur. Quia vero specialiter pro papa, pro antistite, id est, pro episcopo illius diocesis, pro rege, etc. illis particularibus personis aliquem fructum ex opere operato provenire verisimilius est.

XIX. Secundo, inter offerentes computantur qui missæ assistunt, vel illi ministrant. Unde etiam pro illis orat sacerdos in canone, dum dicit: Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, ubi rursus confirmatur dispositionem, seu devotionem recipientium attendi pro fructu sacrificii determinando.

XX. Tertio, ipse sacerdos, qui est minister offerens, participat de fructu sacrificii duplici titulo. Primo, ut minister publicus Ecclesiæ in persona Christi: secundo, ut privata persona, quatenus est unus de circumstantibus. Et his omnibus applicatur de fructu sacrificii, tam ex opere operato, quam ex opere operantis, juxta dispositionem suam, et majorem vel minorem cooperationem ad tale sacrificium. Sicut qui dat eleemosynam et stipendium, magis cooperatur, quam qui gratiose petit sacrificium; et qui dat abundantioram eleemosynam magis cooperatur, et melius disponitur ad fructum sacrificii, cæteris paribus.

XXI. Inter eos autem pro quibus offertur hoc sacrificium, computantur omnes illi pro quibus specialiter sacerdos applicat fructum sacrificii, vel ex obligatione stipendii, vel ex gratiosa voluntate, vel ex alio

debito, et pro quibus orat in utroque memento, sive sint vivi, sive defuncti. Ex ista si quidem applicatione dirigitur ad illos fructus sacrificii, tam ex opere operato, quam ex opere operantis; licet quantitas illius juxta fidem et devotionem eorum determinetur.

QUI VERO SINT CAPACES HUIUS FRUCTUS, TAM EX OPERE OPERANTIS, QUAM EX OPERE OPERATO.

XXII. Respondetur inter defunctos solum prodesse animabus purgatorii, quibus prodesse est de fide, ut constat ex Tridentino sessione XXII, cap. II, et sessione XXV in principio. Et certum est illis provenire effectum ex opere operato, quidquid aliqui senserint in contrarium, quia dicunt non esse membra Ecclesiæ, quæ est in hac vita. Sed oppositum est certum, quia fructus qui provenit illis, non dependet ex meritis sacerdotis, quia etiamsi sit in peccato, prodest illis sacrificium: ergo ex meritis Christi tantum dependet: ergo ex opere operato. Et licet illæ animæ non sint Ecclesiæ membra visibilia, sunt tamen invisibilia, mediante fide, in qua nobiscum communicant. Unde damnati, qui nec habent fidem, nec sunt in statu redemptionis, nihil participant de fructu hujus sacrificii. Beati autem illo non indigent, licet magnum gaudium accidentale ex oblatione sacrificii participant.

XXIII. Inter viventes autem sunt capaces hujus sacrificii, quantum ad fructum ex opere operato, omnes fideles baptizati qui sunt in gratia, et non sunt excommunicati. Nam infideles qui non sunt baptizati, nondum sunt capaces sacramentorum, neque sacrificii, et cujuscumque alterius communicationis rei sacræ, ex opere operato. Similiter qui non

sunt in gratia, non possunt accipere remissionem pœnæ, quia hæc supponit culpam remissam. Excommunicati etiam privantur suffragiis Ecclesiæ, et communione fidelium, et ideo pro illis orari non potest publica oratione, qualis est missa, nec illis applicari fructus sacrificii. Et idem est de hæreticis et schismaticis, quia excommunicati sunt. Per modum autem impetrationis potest prodesse omnibus istis sacrificium, etiam non baptizatis, sicut etiam pro omnibus illis orat Ecclesia in die parasceves. Directe tamen non potest orari pro excommunicatis oratione publica, licet indirecte etiam pro illis oretur, quatenus petitur etiam a Deo pro hæreticis, ut resipiscant, et pro omnibus errantibus ut reducantur a via sua mala: bene tamen potest aliquis in oratione privata commendare Deo excommunicatos. Pro catechumenis autem qui in fide decesserunt ante baptismum, prodest sacrificium hoc per modum impetrationis, vel ex opere operantis, quia fructus ex opere operato, sive per sacramenta, sive per sacrificium non potest illis communicari, nec aliquis est capax illius nisi post baptismum.

ARTICULUS IV.

De stipendio missarum, et de obligatione circa illas, et de reductione missarum.

PRIMO QUÆRITUR, QUOMODO STIPENDIUM RECIPIATUR PRO MISSA SINE PECCATO SIMONIE, CUM VIDEATUR DARI PRO RE SACRA.

I. Communiter respondetur, hoc stipendium non dari pro ipsa missa; sed pro sustentatione ministri, quæ aliquid temporale est; quæ est solu-

tio S. Thomæ 2-2, quæst. c, art. II. Sed contra hoc est instantia: Primo, quia idem possemus dicere de ministracione aliorum sacramentorum, vel collatione beneficiorum. Posset enim quis dicere, quod pro conferendis ordinibus, vel beneficiis accepit pecuniam, non pro ipsa re sacra, sed pro sustentatione sua; cur ergo ista solutio admittitur in stipendio sacrificii, et non in collatione alterius sacramenti, vel beneficii: secundo, quia in sacerdote accipiente stipendium nascitur obligatio ex justitia, dicendi illam missam pro tali obligatione: ergo pactum directe cadit super ipsam rem sacram, quia ipsam tenetur applicare alteri: si autem solum ad sustentationem ministri datur, non ex justitia sed ex religione vel gratitudine tenebitur illam missam dicere, sicut ecclesiastici eo quod recipiunt decimas a fidelibus non tenentur ex justitia pro illis orare, vel sacramenta ministrare, sed solum ex religione; neque enim tenentur restituere, si oppositum faciant: tertio, quia stipendium missæ non datur pro integra sustentatione ministri, alias abundantius stipendium deberet tribui, quam communiter datur, aut posset sacerdos pro pluribus stipendiis unam tantum missam dicere, ut integram sustentationem haberet: ergo signum est tale stipendium non dari pro sustentatione, sed pro illa actione.

II. Respondetur, quod ut bene notat S. Thomas loco citato, accipere aliqua ad sustentationem eorum, qui sacramenta Christi ministrant secundum ordinem Ecclesiæ, et consuetudines approbatas, non est simonia, neque peccatum. Non enim sumitur tamquam pretium, sed tamquam stipendium necessitatis. Quare ut hujusmodi stipendium quod datur, et pactum quod intercedit liberetur a simonia in

oblatione sacrificii, et non in collatione aliorum sacramentorum et beneficiorum, recurrendum est ad ordinationem Ecclesiæ, quæ hoc modo designat sustentationem ministri in missarum oblatione, non autem in aliis ministeriis sacris. Nam de ministracione altaris dicit Apostolus I ad Corinth. IX: *Quod qui altari deserviunt, de altari participant*: unde quidquid ad altare offertur (vulgo *el pie de altar*) jure accipitur a ministris pro sustentatione: et ista donaria, seu oblationes altaris computantur etiam stipendia missarum, et ideo ex ordinatione Ecclesiæ pro sustentatione ministri accipiuntur.

III. At vero in collatione beneficii sufficienter Ecclesia providit pro sustentatione ministri in redditibus, et aliis bonis, quæ assignantur episcopis, vel collatoribus beneficiorum. Unde non potest titulo sustentationis aliquid accipi pro beneficio, quia hoc non ordinavit Ecclesia. Similiter pro ministrandis aliis sacramentis sufficienter provisum est ministris per decimas et primitias, aliosque redditus ecclesiasticos, vel per generales eleemosynas, quæ dantur regularibus; ideoque non ordinavit Ecclesia ut titulo sustentationis aliquid amplius recipiatur pro ministracione sacramentorum, quin potius in novo rituali Romano Pauli V, in rubricis de sacramentis in genere statuitur, quod non possit aliquis recipere quidquam in ministracione sacramentorum, nisi in casu quo aliquid gratis detur post administrationem factam, et sit in usu, et non prohibeatur ab episcopo.

IV. Ad secundum respondetur, obligationem istam esse ex justitia, non ex parte commutationis rerum, sed ex parte oneris personarum, quia non fit commutatio inter ipsas res, quasi pro stipendio temporali, tam-

quam pro pretio detur applicatio sacrificii (hoc enim simoniacum est) sed quia persona ministri recipit sustentationem a plebe, cum illo onere dicendi missam; et tale onus facit debitum justitiæ ex parte personæ, ad implendum illud, quia fundatur in contractu, vel quasi contractu. Quando autem onus istud etiam ex pacto admittitur ob sustentationem ministri, non est simonia, quia non est ex pretio rei, sed ob necessitatem ministri, juxta ordinationem Ecclesiæ; quod tamen in collatione beneficiorum, vel ordinis non currit, quia Ecclesia non ordinavit quod ibi detur aliquid ob sustentationem ministri: unde si datur, erit ratione pretii, et consequenter simoniacum.

V. Ad tertium dicitur, illud stipendium missæ dari pro sustentatione ministri, sed non integra et totali, quia non est occupatio totius diei, sed quantum illi labori et occupationi correspondet, et ratione illius potest imponi illis onus dicendi missam.

SECUNDO INQUIRES, AN ETIAM SACERDOS DIVES, ET QUI NON INDIGET SUSTENTARI AB ALIIS, POSSIT ACCIPERE STIPENDIUM PRO MISSA.

VI. Respondetur affirmative, quia illud stipendium non datur titulo paupertatis, aut eleemosynæ gratuitæ, sed titulo ministerii et laboris, ratione cujus habet jus qui altari deservit, ut de altari vivat et participet; quo jure non privatur quia sit dives. Unde licet non indigeat sustentatione absolute et in se, tamen in quantum operarius et minister, utitur jure suo, et potest sustentationem petere, quæ ratione talis juris debetur, licet ipse alias habeat unde sustentetur: hoc enim per accidens est.

TERTIO INQUIRES, AN POSSIT QUIS ACCIPERE PLURA STIPENDIA PRO MISSIS, ET POSTEA DISTRIBUERE ALIIS, RETENTA SIBI ALIQUA PARTE, DUMMODO JUSTUM STIPENDIUM TRIBUAT.

VII. Verbi gratia, recipit quis triginta argenteos pro una missa, et postea jubet alteri illam dicere dando illi duos argenteos juxta taxam diocesis illius, an possit hoc fieri. Aliqui affirmant ut Suarez hic disput. LXXXVI, sect. III, et citantur Soto, Sa, et alii; eo quod nulli fit injuria in hoc, nec danti stipendium, quia jam assignatur ei una missa, sicut eam petivit, nec sacerdoti illam dicenti, quia jam datur ei justa eleemosyna et stipendium: ergo.

VIII. Oppositum tamen dicendum est. Neque illa sententia est probabilis, neque tuta; præsertim post decisionem sacræ congregationis rituum 21 julii 1625, et in decretis de celebratione missarum, §. IV, ubi dicitur: Qui missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, non potest eandem missam alteri celebrandam committere parte ejusdem sibi retenta. Et idem habetur in eisdem decretis, dubio quinto. Ratio est, quia non habet titulum, neque jus retinendi illam partem, nec titulo gratuito, quia illinon; fit donatio talis partis a vero domino; neque titulo oneroso, quia ipse non subiit onus dicendi missam; neque ratione ministerii in quærendo sacerdotem, quia sua voluntate id facit, eo quod non vult dicere illas missas; neque ille labor est tanti momenti, ut debeat retinere illam partem; quare facit injuriam vero domino, et sacerdoti dicenti illas missas, quia sine consensu illorum retinet sibi partem destinatam stipendio missæ.

IX. Est tamen advertendum, quod qui habet beneficium, cui est annexum onus missarum, si commendat alteri sacerdoti illas missas, non tenetur dare stipendium ad rationem reddituum beneficii, sed sufficit quod tribuat eleemosynam congruam secundum morem illius loci, nisi aliud in fundatione caveatur. Ita resolvit dicta sacra congregatio in eisdem decretis, dubio octavo. Judicavit enim congregatio beneficiarium habere jus titulo beneficii ad retinendum aliquid de illis redditibus, etiam ultra satisfactionem pro missis; et sic non currit ratio facta, quod ille non habebat titulum ad retinendum illam partem; habet enim titulum, scilicet beneficium, cui alias est annexum onus recitandi divinum officium, et alia similia onera. Unde quando commendat missas aliis, ut satisficiat dicto oneri, tamquam proprius dominus id facit, et sic non tenetur nisi consuetam eleemosynam dare.

QUARTO INQUIRES, AN QUI OBLIGATUR CELEBRARE RATIONE BENEFICII, CAPPELLANÆ, LEGATI AUT SALARII, SI PRO ALIIS MISSIS ELEEMOSYNAM RECEPERIT, POSSIT EADEM MISSA UTRIQUE OBLIGATIONI SATISFACERE.

X. Sacra congregatio respondit, non posse, in dictis decretis, dubio quarto, cui annectenda est alia declaratio cardinalium 1 septembris, anno 1629, quod parochi pro diebus quibus tenentur missam celebrare, non possunt pro ea manualementem et ordinariam eleemosynam recipere; intellige ly pro ea, id est, pro eadem missa; nam si ipse parochus commendat alteri (ut potest per alterum satisfacere illi missæ, quam ratione beneficii tenetur dicere) jam manebit liber, ut possit pro illa manuali eleemosyna celebrare. Item alia de-

claratio notanda est 28 aprilis 1629, quod sacerdos duplicem eleemosynam recipiens non potest unica missa satisfacere duabus obligationibus, nisi in ipsa fundatione expresse cautum sit, quod non teneatur sacrificium applicare.

QUINTO INQUIRES, AN POSSIT ALIQUIS ANTICIPATAS DICERE MISSAS PRO HIS, QUI SIBI OFFERENT POSTEA STIPENDIA; ET ITA QUANDO DANTUR ELEEMOSYNÆ, SATISFACERE APPLICANDO MISSAS JAM DICTAS ILLA INTENTIONE.

XI. Sacra congregatio 10 novembris 1605, censuit esse proxim omnino tollendam.

SEXTO INQUIRES, AN POSSIT SACERDOS ACCIPIENS STIPENDIUM MINUS CONGRUUM PRO ALIQUIBUS MISSIS, SATISFACERE MINUENDO NUMERUM MISSARUM; AN TENEATUR TOT DICERE, QUOT PRÆSCRIPTÆ SUNT AB OFFERENTE, ETSI STIPENDIUM MINUS CONGRUUM SIT.

XII. Respondetur circa hoc varias fuisse praxes, tum ratione privilegiorum, tum ratione necessitatum. Ratione privilegiorum Julius II, concessit generali ordinis Minorum, qui tunc erat, ut in sua visitatione posset in multitudine missarum dispensare, ut in qualibet missa posset poni novem orationes seu collectæ, et quælibet collecta valeret pro una missa quam concessionem extendit Leo X anno 1613, ut quilibet generalis futurus idem facere posset. Quas constitutiones refert Pararillus in libro privilegiorum, fol. 45 et 58. Et super valore istarum concessionum consultus Navarrus respondit libro v consiliorum, titulo de privilegiis, valere eam conces-

sionem, licet ea utendum esset cum magna consideratione; nec posse sine magna necessitate recipi talem numerum missarum cum proposito decipiendi eos qui pro tali numero missarum eleemosynas offerunt.

XIII. Et simile privilegium refertur concessum a Leone X pro fratribus Minoribus, quod si eleemosyna non æquivaleret uni regali, possent unica missa satisfacere, etiamsi duas, vel tres, aut quatuor celebraturi essent, occasione plurium eleemosynarum, ut refertur in compendio privilegiorum fratrum Minorum, verbo missa, licet talis concessio ab illo auctore pro subreptitia habeatur. Modo autem omnia ista privilegia revocata sunt, et ordinatum a sacra congregatione in dictis decretis supra citatis, anno 1625, dubio tertio, teneri sacerdotes accipientes stipendium minus congruum celebrare missas ab offerente præscriptas, et privilegia omnia abrogata sunt. Quæ constitutio in Hispania publicata fuit et in usu; imo ut ad notitiam omnium perveniret, in hac Toletana diocesi in librantis apponi jussa est.

XIV. At vero ratione necessitatis in praxi multorum est, quando stipendium taxatum in aliquo episcopatu est maxime tenue, aut eleemosynæ manuales minus congruæ sunt, minuere numerum missarum, illasque reducere ad justum stipendium, et sic celebrare tot missas, quot correspondeant illis eleemosynis ad justum stipendium redactis. Alii vero juxta necessitatem suam tantum sumunt de stipendiis, quantum pro congrua sustentatione unius sacerdotis necessarium est.

XV. Alii etiam extendunt ad congruam sustentationem non solum ipsius sacerdotis, sed etiam patris et matris ejus, aut sororum pauperum, quia omnes istæ sunt personæ

conjunctæ, ad quas naturali obligatione tenemur. Quibus favere videtur illa concessio Tridentini sess. xxv de reformatione, cap. iv, qua conceditur, ut episcopi et generales ordinum in suis capitulis possint reducere ad minorem numerum missas, quæ ob tenuitatem non facile inveniant, qui onus celebrandi eas suscipiant.

XVI. Cæterum quod attinet ad facultatem Concilii Tridentini constat illam pro isto casu non favere, quia ibi solum datur ista facultas episcopis in sua Synodo diocesana, et generalibus ordinum in suis capitulis generalibus. Unde non potest extendi facultas ista ad privatas personas, nec ad aliquos prælatos sine capituli vel Synodi celebratione. Item illa facultas intellecta est a sacra congregatione cardinalium de oneribus missarum impositis ante Concilium, non post, ut ex Sorbo, Confectio, et aliis auctoribus refert Barbosa in libro de officio et potestate episcopi parte II allegatione xxix, numero II. Et tandem in decretis de celebratione missarum §. II, sacra congregatio resolvit xxi julii 1625, pro his oneribus impositis post Concilium Tridentinum moderandis, reducendis aut commutandis, recurrendum esse ad sedem apostolicam; quod valde his temporibus notandum est. Nec denique facultas illa Concilii intellecta est fuisse concessa pro moderatione stipendii missarum manualium, quæ solent quotidie offerri, sed pro impositione onerum in aliquibus foundationibus impositorum.

XVII. Quod vero ratione necessitatis reductio ista justificari solet a privatis personis vel communitatibus, res est valde perplexa, nec nisi in extrema, vel gravi necessitate consulenda. Quapropter a sede Apostolica multis decretis sancitum est,

ne conventus aliquis plures religiosos habeat, quam quos ex certis redditibus et consuetis eleemosynis sustentare commode potest, ut constat ex decretis in tom. IV bullarii, in bullis Urbani VIII. Imo in supradictis decretis de celebratione missarum, dubio septimo determinavit sacra congregatio cardinalium, quod ecclesiæ et loca pia, seu illorum administratores nullam portionem ex eleemosynis missarum retinere possint ratione expensarum quas subeunt in missarum celebrationibus, scilicet in vino, candelis, etc. nisi cum ecclesiæ aut loca pia non habent redditus; quos in usu earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debet excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum sacrificio necessario sunt subeundæ. Et nihilominus eo etiam casu curandum est, ut ex pecuniis quæ supersunt (expensis ut supra deductis) tot missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas. Ita sacra

congregatio, cujus decisio magnum pondus in hac parte facit, ne de facili ratione necessitatis sacerdotum missarum numerus minuat, sed semper tot dicantur, quot fuerint præscriptæ; cum etiam in casu quo ecclesia non possit expensas pro celebratione missarum aliunde habere (quod utique maximæ necessitatis est) permittatur ex eisdem eleemosynis eas deducere quoad id, quod necessarium est, dicendo alias quæ ex residuo computandæ sunt. Quomodo ergo pro sustentatione sacerdotum permitti potest quod numerus missarum minuat, præsertim cum multoties non pro ipsa præcise necessitate, sed etiam pro aliis non multum necessariis expensis istæ eleemosynæ extrahantur. Sed tamen quia necessitas caret lege, pro extrema vel gravi necessitate non audeo reprobare hunc stylum, si moderate id fiat: eo vero modo, quo passim a multis fit, omnino reprobandum est.

Hæc sufficiant de hac materia.

QUÆSTIO LXXXIV.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

I. Ordinem D. Thomæ in sacramentis explicandis, et ordinanda hac materia de sacramento pœnitentiæ, non est necesse hic a nobis explicari, cum exacte sit traditum in tom. primæ partis, tractatu de connectione omnium partium theologiæ: sufficit in præsentis solum advertere, quod D. Thomas acturus de sacramento pœnitentiæ, ad duo respexit; ad pœnitentiam scilicet ut sacramentum, et ad pœnitentiam virtutem, sine cujus actibus sacramentum ipsum non sit. Et quidem pœnitentia, quæ est sacramentum, explicatur quantum ad essentiam, substantiam et quidditatem in communi sumpta, in hac quæstione LXXXIV. Ejus vero partes, ex quibus integratur et constat materia sacramenti, incipit tractare quæstione xc. Nec ultra progressus est morte præventus. Pœnitentiam vero virtutem, ejusque effectus tractavit per quinque quæstiones, a quæstione scilicet LXXXV, usque ad xc exclusive.

II. In hac ergo quæstione LXXXIV, in qua agit de sacramento pœnitentiæ secundum se, tria præcipue tractat D. Thomas. Primo, id quod pertinet ad essentiam hujus sacramenti, tribus prioribus articulis; nempe ostendendo articulo primo quod sit sacramentum: deinde, quæ

sit ejus materia, et quæ forma articulo secundo et tertio. Et quia nonnulli putabant requiri ad constitutionem hujus sacramenti manuum impositionem quæ fit a ministro, removit hoc D. Thomas, tamquam ad essentiam hujus sacramenti nullatenus requisitum. Secundo loco considerat necessitatem hujus sacramenti ad salutem, non absolute, sed ex suppositione peccati post baptismum commissi, ratione cujus dicitur convenienter secunda tabula post naufragium: indeque dependet scire quem locum habeat pœnitentia inter reliqua sacramenta, nempe post baptismum, confirmationem et eucharistiam. Et de his agit duobus articulis, scilicet quinto et sexto. Tandem tertio loco considerat accidentia quædam hujus sacramenti per reliquos articulos, nempe institutionem ejus quando facta fuerit. Secundo, durationem illius, quod scilicet durare debet per totam vitam, quantum ad interiorem dolorem, et abominationem peccati; non quantum ad exteriorem confessionem et satisfactionem: tertio continuitatem ejus; debet enim continuari pœnitentia, si non actu, saltem in habitu: quarto, iterationem ejus, quia constat posse hominem pluries pœnitentiæ sacramentum repetere.